



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XV. Ad Martii Casum Prudentialem. Argumentum. Examinatur, an aliquæ personæ devotæ sint communicandæ in die Sabbati Sancti post Missam? Rationes pro, & contrà referuntur. Plures ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

ita. Quo vero ad plures vices communicandi, & sic quoad tempus illam sumendi, sive semel in anno, sive tempore mortis, est de praecepto Ecclesiae, ad quam spectat declarare, quando fideles debeant communicare; prout declaravit eos obligatos semel in anno tempore Paschali, cap. Omnis utriusque sexus, de Penitent. & Remiss. & in articulo mortis, cap. De his 9. 26. q. 6. ut demonstrabimus infra in primo Casu mensis Septembris ex doctrina Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 25, art. 2. & art. 3. ubi expresse probat: Communionem in articulo mortis esse de praecepto Ecclesiae, non autem de praecepto Divino.

DECISIONIS XV.

Ad Martii Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Examinatur, an aliquæ personæ devotæ sint communicandæ in die Sabbati post Missam? Rationes pro, & contrā referuntur. Plures traditiones dantur circa Missam Sabbati Sancti, quæ olim de nocte celebrabatur. Resolvitur Casus sub distinctione.

SUMMARIUM.

- 1 Sabbato Sancto Laicis non infirmis non est danda Communio? & quibus rationibus? num. 4.
- 2 Communio in Missa Sabbati Sancti cur non dicatur?
- 3 Laici sani possunt communicari in Sabbato Sancto.
- 5 Exceptio in uno casu firmat regulam in contrario.
- 6 Inclusio unius est exclusio alterius.
- 7 Sabbati Sancti Missa olim dicebatur à solo Episcopo, & de nocte.
- 8 Consuetudo universalis habet vim legis.
- 9 Concessum dicitur, quicquid expresse prohibitorum non reperitur.
- 10 Sabbato Sancto possunt Sacerdotes Missam privatim celebrare secundum aliquos DD.
- 11 Cap. Sabbato. de cons. dist. 3. censetur abrogatum.
- 12 Feria sexta Parasceves nullus Laicus sanus est communicandus.
- 13 Hebraei vigilabant in nocte ante diem Pasche.
- 14 Sabbato Sancto an Missa cantaretur in principio noctis, an media nocte?
- 15 Christiani antiquitus communicabantur in nocte Sabbati Sancti ad Missam.
- 15 Communio Antiphona est signum letitiae.
- 17 Christus Dominus quā hora resurrexerit?
- 18 Consuetudo est in pluribus Ecclesiis communicandi fideles Sabbato Sancto.
- 19 Consuetudo particularis praefertur generali.
- 20 Consuetudo negativa in facultativis non praesudicat.
- 21 Favores sunt ampliandi.
- 22 Devotio est actus Religionis.

CASUS PRUDENTIALIS

MOs est nonnullis Ecclesiis, in quibus devotio circa Eucharistia frequentem sumptionem colitur, ut Sabbato, completa illius diei solemnī Missa, accedant devota persona Sacram Communionem

receptura. Queritur à prudentia Parochorum: Utrum sint communicandæ?

Alii responderunt negativè cum Gayando in Rubric. Missal. p. 4. tit. 10. num. 38. & 46. Cotonio lib. 2. controversi. 4. num. 174. Volpi resol. 62. num. 2. Azotio tom. 1. lib. 10. cap. 24. quas. 3. & 4. Arnaudo in Epitom. Sac. Rit. part. 4. tit. 10. num. 29. Francolino de Floris Canon. cap. 30. num. 12. Marchino de Sacram. Ordinis tr. 3. part. 3. cap. 8. num. 3. & novissimè cum Macro in Hierolexic. verb. Communio, ubi ait: In Missa Sabbati Sancti hæc Antiphona (Communio) idèò non dicitur, quia Communio populi non fit. Itaque abusus etiam censendus est illorum, qui Communionem concedunt in hac die.

Alii verò responderunt affirmativè cum Bauldry in Manuale Sacrar. Ceremoniar. part. 4. cap. 11. art. 5. num. 15. Quintanadven, tract. 4. Singular. 6. Castaldo in Praxi Ceremoniar. lib. 3. sect. 8. cap. 5. num. 14. Qui in puncto concedunt, posse Laicos communicari, completa Missa solemnī in die Sabbati Sancti; & cum sequentibus etiam Theologis (idem asserentibus non bene in die Veneris Sancti) videlicet Quarto in Rubric. Missal. part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. in fine Pellizar. in Manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 108. Tamburini. de Expedit. Commun. cap. 6. num. 4. Victorelli. in addit. ad Possévin. de offic. curat. cap. 8. Joannes Sanci in Selectis disp. 22. n. 20. Diana part. 6. tr. 6. resol. 19. & part. 9. tract. 7. res. 24. quæcum hæc ultima est in tom. 2. Coordinato tract. 2. resol. 46. prior verò in tom. 8. tract. 4. resol. 46. & utrobique plurimos Moralistas idem docentes allegat, quibus novissimè adhæret Colleg. Salmant. in Cursu Theol. Mor. tom. 1. de Sacram. in genere tr. 5. cap. 4. num. 5.

Rationes opinionis negativæ sunt. Primò: ob cap. Sabbato 13. de consecrat. dist. 3. ubi Innocent. Papa I. ait: Utique constat Apostolos biduo isto (Veneris Sabbati Sancti) & in morare fuisse, & propter metum Judæorum se occultasse. Et idèò subdit Traditio Ecclesie habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Secundo verba rubra Missalis feria quinta majoris hebdomadæ, statim ante Communionem hujuscemodi tenoris: Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti in quo non conficitur Sacramentum: reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis. Ergo qui non est in statu infirmitatis mortalis, non est communicandus in hoc biduo; nam exceptio in uno casu firmat regulam in contrario l. Quæstum 5. Denique ff. de Fundo instruct. Gloss. in Rubr. de Regul. jur. in 6. Barbofi. Axiom. 85. num. 4. Et si Rubrica Missalis includit infirmos in reservatione particularum consecratarum, excludit sanos; siquidem inclusio unius est exclusio alterius cap. Qualis 25. dist. 1. Cum Prator ff. de Judic. Thomalett ad Flor. legum, regul. 159. Barbofi. in Locis commun. loco 55. ubi DD. Tertio: quia respondit S. Rituum Congregatio die 9. Maji 1606 servandam esse universalis Ecclesie præsentem consuetudinem, non ministrandi Eucharistiam in die Veneris Sancti, nisi infirmis: Ita Gavanti. par. 4. Rubr. Missal. tit. 9. num. 25. Et iterum idem præcepit die 19. Februar. 1622. teste Barbofi. de Paroch. cap. 20. num. 16. Quarto: quia Missa solemnī quæ celebratur Sabbato Sancto, non est Missa diei illius, sed noctis sequentis, in qua

7 in qua Episcopi tantum litabant in memoriam Resurrectionis Dominicæ, ideoque in oratione dicitur: *Deus qui hanc Sacratissimam Noctem*. Et idem repetitur in Præfatione, dicendo: *Te quidem Domine in omni tempore, sed in hac potissimum nocte*. Necnon infra actionem communicantes, & *Noctem Sacratissimam celebrantes*. At in eadem Missa noctis nullus, præter sacrificantem Præsulem, admittebatur ad Communionem; & hæc de causa, statim assumpto Sacramento, cantantur Vesperæ, & omittitur Antiphona *Communio*, quæ in aliis Missis dicitur; scilicet, quia non administrabatur Sacramentum adstantibus eidem Missæ, ut notavimus supra ex mente Macri in *Hierolexic. d. verb. Communio*. Quinto: quia consuetudo universalis est non communicandi populum in Sabbato Sancto, quæ vim legis censetur habere *cap. fin. de consuetud. c. Consuetudo dist. 1. l. De quibus ff. de legib. Barbosa Axiom. § 6. n. 4.* Eo magis quia innititur rationi, & æquitati, quæ vult, abstineri à latinitia convivii, durante mœrore Passionis Christi, & mœstitia Apostolorum; utriusque enim repræsentatio durat usque ad diem Dominicæ Resurrectionis. Volpi *dist. resol. 62. n. 6.*

9 Rationes verò eorum, qui adhærent affirmativæ opinioni, sunt, Primo: quia cum Ecclesia nunquam prohibuerit communicari aliquos fideles devotos in die Sabbati Sancti, censetur permittere, juxta Juris regulam: *Concessum dicitur, quidquid expresse prohibitum non reperitur l. Nec non §. quod ejus, ff. Ex quibus causis major. Barb. Axiom. 46. n. 1.* Et quod non reperitur à lege vetitum, non debet superfluitis prætensionibus præsumi prohibitum. *cap. 2. de transact. Calderin. cons. § 2. alias 6. de Elect. Barbos. Axiomat. 178. n. 2.* Secundo: quia anticipatio in celebrando mysterio Resurrectionis Dominicæ sicut concedit Sacerdotibus celebrare Missam in Sabbato Sancto, saltem privatim ex magis communi Moralistarum opinione, de qua Emin. Card. de Lugo de Sacramento *Euchar. disp. 20. a. n. 18. & seqq.* ita debet prodesse devotis fidelibus, ut possint eodem die Sabbati Sancti Sacram suscipere Eucharistiam. Optat enim Sancta Mater Ecclesia, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent. Concil. Trident. de *Sacris. Missæ sess. 22. cap. 6.* Tertiò: quia in pluribus Provinciis inolevit, ut in die Sabbati Sancti, completa Missa solemni, accedant personæ piæ viuentes, & specialem devotionem erga Venerabile Sacramentum Altaris profitentes, ad Sacram Communionem recipiendam ex suorum Confessoriorum consilio, à quibus communicantur, ut de Hispania, Germania, & Italia, testantur Sancius, Quintanadven. & alii pro hac opinione à Diana citati in *ad. resol. 46.*

11 Ad argumenta verò, seu rationes contrarias respondent. *Ad Primum*: quod in *c. Sabbato de cons. dist. 3.* prohibentur celebrari Sacramenta, non administrari. Immo cum textus ille abrogatus sit etiam quoad celebrationem in die Sabbati Sancti, eo minus obesse potest administrationi Eucharistiæ, post completam Missam. *Ad Secundum*: quod verba Missalis nominat infirmos, tanquam motivum principale reservandi Eucharistiam, sed non excludit sanos præcipue in die Sabbati Sancti; in quo conceditur, his temporibus consecrare. Et exceptio in uno casu firmat regulam in contrarium, quando expresse sic declaravit faciens re-

gulam. Barbos. *dist. Axiom. 85. n. 5.* Et inclusio unius non est exclusio alterius, quando alia dispositione alter est inclusus. Menoch. *lib. 4. præsumpt. 39. n. 32.* *Ad Tertium*: Decreta S. Rituum Congregationis loqui de Communionem in die Veneris Sancti tantum, & iisdem promptè parent fideles apud nos; quia nullus extra periculum mortis, communicat in die Veneris Sancti; & merito tum ob mysterium mœrore ex Passione Christi, tum ob debitam obedientiam eidem Sacre Congregationi, cuius Decreta vim legis habent. Coron. *lib. 3. contror. 3. n. 45.* neque sunt approbandi Doctores adhuc asserentes: posse administrari Communionem in die Parasceve etiam sanis, cum contrarium his declaraverit Sacra Rituum Congregatio, cui tandem se submisit Diana in *ind. tom. 2. tract. 2. resol. 46. n. 2. in fine, ibi: Verum suppositis dictis declarationibus, ego nunc existimo in feria sexta Parasceve non esse administrandam Eucharistiam, nisi infirmis.* Respondetur *ad Quartum*: Missam Sabbati Sancti olim de nocte solummodo cantari consuevisse, non autem de die. Nam etiam Hebræi vigiliabant in nocte ante primum diem Paschæ Azymorum, quæ Nox appellabatur *ליל שמונים* *Leil Scimuni*, id est *Nox Vigiliarum*, teste Julio Mauroceno in *cir. Opere Via della Fede par. 2. cap. 31.* in principio. Incertum est autem an pro ea cantanda expectaretur medium noctis, vel ipsius noctis initium: siquidem Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 21. n. 4.* contendit probare, quod expectabatur medium noctis Sabbati Sancti pro cantanda Missa ex S. Hieronymo in *Matth. cap. 25.* & Tertullian. *lib. 2. ad Uxorem cap. 4.* quod etiam docet Duran. in *Rat. Divin. offic. lib. 6. cap. 78.* E contra Emin. Card. de Lugo de *Sacram. Euchar. disp. 20. a. n. 16. & seqq.* astruit: Missam Sabbati Sancti ab antiquis solum decantari statim post occasum Solis, & sic in principio noctis, unde *n. 18.* inferi: ultra Missam illam solemnem, Presbyteros potuisse, & solitos fuisse, Missas privatas celebrare. At quidquid sit de hora, in qua celebrabatur Missa in nocte Sabbati Sancti, verisimile est enim, quod antiquissimis temporibus, (in quibus ferventes erant fideles erga Redemptionis Mysteria) non statim post occasum Solis, sed tardius inciperent Officia celebrare; cumque, & benedictio Ignis, Incensi, & Cerei non cursim, sed devotè fieret, sensusque mysticus Sacramentum illarum Cereemoniarum explanaretur populo, & Catechumeni baptizarentur, medietas noctis appropinquaret, dum Missa decantaretur. Quod autem præter Missam solemnem recitarentur eadem nocte aliæ Missæ privaræ testatur *Nicrologus*, (qui vivebant anno 1077. teste Card. Bellarmin. de *Scriptorib. Ecclesiasticis*.) quem allegat Card. de Lugo *cit. disp. 20. n. 18.* Et quod administraretur Eucharistia devotis personis, campentibus, eadem nocte Sabbati Sancti, demonstrat ipse Emin. Card. Bona *d. cap. 21. n. 4.* ex Theodoro Ballamone (qui vivebat anno 1191.) in *can. 90. Trullano* scribente: *Christianos religiosos toto illo Sabbato in Ecclesia manere solitos, & sexta noctis hora, id est media nocte divinis Sacramentis communicare.*

Neque obstat, quod in Missa Sabbati Sancti non cantetur Versus, seu Antiphona *Communio*, sed omittatur, eo quia nullus alius communicabat, præter celebrantem; ut autumant Gavantus, & Macer supra allegati; nam hæc consequentia negatur, & respondetur, non cantari Antiphonam *Communio*, quia illa est signum lætitiæ ex doctrina ejusdem

ejusdem Gavanti in *Mystica expositione Missæ part. 2. tit. 16. num. 28.* nondum autem advenit lætitiæ tempus Resurrectionis Domini; juxta illud: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psal. 29.* Etenim Dominus noster JESUS CHRISTUS surrexit à mortuis, non in media nocte, sed summo mane, & in aurora, illucescente die Dominico, ut ex SS. Patrum testimoniis probat Batradas in *Concord. Evangel. tom. 4. lib. 8. cap. 2.* Torniel. ad *Ann. Mundi 4084. num. 28.* & Menoc in *Vita Christi lib. 8. cap. 1. num. 7.* qui ita Ecclesiam profiteri observat in hymno illo Dominicæ ad Laudes.

Aurora Cælum purpurat. &c.

Rex ille dum fortissimus,

De mortis inferno specu.

Patrum Senatum liberum

Educit ad vitæ jubar.

Et quamvis omittatur Antiphona *Communio* durante per totam noctem moreore Passionis Christi, & ejus loco intonentur statim Vesperæ, ut in Missali, nihilominus ex oratione, quæ cantatur post Magnificat, desumitur, fuisse administratâ Sacram Communionem etiam aliis à celebrante; dicitur enim in illa, *Spiritus nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tuâ facias pietate concordare.* Ecce, quod Ecclesia testatur, non unum celebrantem tantum, sed plures fideles, præter illum, fuisse Sacramentis Paschalibus satiatis, idest Eucharistia refectos; loquitur enim Ecclesia in plurali, quia plures supponit communicasse in eadem Missa, & posse communicare.

Ad Quintum tandem argumentum contrarium, quod fundatur in consuetudine universali non administrandi fidelibus Eucharistiam in die Sabbati sancti; respondetur: non ob stare, tum quia in pluribus Ecclesiis extat consuetudo particularis communicandi fideles magis devotos, Eucharistiam in Sabbato sancto petentes; ut, præter attestaciones Doctorum tenentium affirmativam opinionem in hoc quæsito, ergo vidi per annos quadraginta, & ultra in Ecclesia Divi Thomæ Martyris hujus Civitatis Paduæ; & de Jure consuetudo particularis præferretur generali. Rota coram Ubaldo decis. 80. num. 7. & coram Card. Cavalier. decis. 95. num. 3. Tum etiam quia in facultativis non usus non nocet, & consuetudo negativa non præjudicat. Potius de *Manut observ. § 8.* Emin. Card. de Luca de *Praeminem. discurs. 30. num. 7.* Et quamvis tempus proprium lætitiæ, & convivii Paschalis sit in Dominica Resurrectionis, nihilominus cum Sancta Mater Ecclesia præveniat in officio ipsum tempus lætitiæ, possumus prævenire accipiendo dona, quæ dantur tempore ipsius lætitiæ: favores enim sunt ampliandi. l. *Cum quidam ff. de liber. & posthum. Barbof. Axiom. 96. num. 4.*

Ex quibus præferenda censetur opinio affirmativa in hujus Casûs Prudentialis resolutione, donec aliud terminetur à S. Rituum Congregatione; congruum est enim favere fidelium devotioni, quæ est Religionis actus S. Thom. 2. 2. quæst. 82. art. 2. & Emin. Cardin. de *Lauræa in 3. Sent. tom. 2. de Virtutibus in genere disp. 25. num. 25.*

DECISIONIS XVI.

Ad Aprilis Quæsitum primum.

ARGUMENTUM.

Proponuntur quatuor controversiæ circa formam Consecrationis Corporis Chri-

sti: *Hoc est corpus meum*, Una ex Theologis, volentibus eam incipere debere à verbis: *Qui pridie quam pateretur.* Altera ex Canonistis dicentibus, esse de forma etiam illa verba: *Accipite & comedite.* Tertia ex Scripturistis, opinantibus, præter verba, requiri etiam *Benedictionem*. Quarta ex Philosophis, secundum quos non videtur, posse formam proferri à multis simul consecrantes eandem materiam, ut sit in ordinatione Sacerdotum, & consecratione Episcopi. Referuntur plures eruditiones Ecclesiasticæ. Resolvuntur objecta, & firmatur forma prædicta consistere in iisdem quatuor verbis: *Hoc est Corpus meum.*

S U M M A R I U M.

- 1 Forma Consecrationis Corporis Christi quæ sit?
- 2 Presbyteri in sua ordinatione concelebrant, & consecrant cum Episcopo. & num. 17.
- 3 Clerus Patavinus emicat viris doctissimis.
- 4 Verba: *Qui pridie*, quam pateretur, an sint de essentia consecrationis?
- 5 Benedictio Hostiæ ante consecrationem, an sit de essentia?
- 6 Christus an sola benedictione consecraverit Eucharistiam?
- 7 Causa plures totales non possunt concurrere ad eundem numero effectum.
- 8 Sacerdos consecrando loquitur in persona Christi.
- 9 Verba: *Qui pridie &c.* sunt de præcepto tantum.
- 10 Enim dictio non est de essentia in consecratione.
- 11 Hispani difficulter proferunt T. post S.
- 12 Verba recitativa non consecrant.
- 13 Christus consecravit Eucharistiam proferendo verba formæ.
- 14 Benedictio accipitur pro consecratione.
- 15 Christus an consecraverit, quando fuit in Castello Emmaus?
- 16 Christus dicto, & facto voluit instruere Ecclesiam circa Eucharistiam.
- 17 Presbyteri plures simul consecrando dicuntur causa partiales.
- 18 Presbyteri noviter ordinati dum communicantur ab Episcopo, non dicitur *Consecror.*
- 19 Cardinales olim consecrabant simul eandem Hostiam cum Papa.
- 20 Canonici olim concelebrabant cum Episcopo.
- 21 Periculum preventionis Episcopi in consecratione cum noviter ordinatis.
- 22 Intentio Ministri non potest suspendere vim verborum formæ in Eucharistia.
- 23 Presbyteri noviter ordinati carent præferre verba consecrationis simul cum Episcopo.
- 24 Pasqualigi verba pro Sacerdotibus noviter ordinatis consecrantibus unâ cum Episcopo.
- 25 Cereemoniarum Magistri obligatio, dum ordinantur novi Sacerdotes.
- 26 Presbyteri dum ordinantur, ne dissent multum ab Altari.

QUÆSI-